

PROLEGOMENA.

I.

Martenius, monachus doctissimus congregationis S. Mauri, commentarium in regulam S. Benedicti, qui Hildemari nomen prae se fert, omnium optimum esse iudicat;*) et Haeftenus, homo praeclarissimus, auctorem commentarii Hildemaro adscripti *vel primum vel inter primos regulae commentatores* non dubitat nominare, etsi auctoritatem Trithemii secutus Ruthardum quendam, Rhabani Mauri discipulum, hujus commentarii auctorem esse conjicit.***) Attamen hic commemoratus tam honorifice commemoratus usque ad id tempus nondum prelo subjectus est, neque quidquam ex eo praeter quosdam locos, quos Martenius suo commentario inseruit, notum exstat. Quamvis enim Martenius et Mabillonius, viri religiosi congregationis S. Mauri, ejus editionem enixe molirentur, tamen rem ad finem non perduxerunt. Quae cum ita sint, excusati esse videmur, quod prae laudatum commentarium, praesertim cum XIV. solemnibus saecularibus diebus natalitii S. Benedicti et S. Scholasticae agantur, edimus.

*) Praefat. ad commentar. in regulam S. Bened. Paris 1690

**) Disquisitiones monast. lib. 2. tract. 5. disquis. 4. pag. 160.